

1613

Paschalicum dimittere captivos, obsidione mitiori uti jubet. Jamque, oppignerata Cæsaris fide, ut tandem tot malorum finis inveniretur, sperandum videbatur, cum favillæ cinere veluti suppressæ, vehementius ac latius, uti postea narrabimus, exarsere.

Ejusdem anni principio omnium oculi mentesque ad ingentes Achomatis, Turcarum Regis, bellicos apparatus convertebantur. Nam Amurathes, quem anno millesimo sexcentesimo decimo, cum exercitu in Persidem missum diximus, cum ad pacem omnia consilia traduxisset, de concordia ineunda cum Sopho egerat. Verum summis involuta difficultatibus res erat. Tributum annuum a Persarum Rege, quod pro captis ab eo turcicis ditionibus penderetur, Achomates petebat. Petitioni nulla Sophus ratione assentiebatur. Itaque inter pacis negotium bellicque suspiciones res versabatur; cum Amurathes effeta jam ætate, gravissimis curis confectus interiit. Is lætho propinquus Nasuphum sibi vicarium delegit, statimque ea de re Byzantium ad Regem nuntios ac literas mitti curavit: quibus acceptis, licet Nasuphus perduellionis reus, in Regem motis armis, mox in gratiam receptus fuisset, eamque ob causam summam illi rerum omnium committere, durum plerique existimarent, nihilominus vel Amurathis judicio, vel præstantium hominum ad exercituum moles regendas inopia, vel longinquitate itinerum, Achomates Nasupho visiratum tribuere, copiarumque imperatorem declarare statuit; eique per veredarios enses aliaque insignia deferri jussit; in idque sedulo incumbere, ut pacis cum Sopho ineundæ ratio aliqua inveniretur, præcepit. Itaque Nasuphus imperii titulis decoratus, impensius de pace pertractavit; utque a Sopho legatus cum serici copia ad Achomatem mitteretur impetravit. Creberrimis inde nuntiis & literis, ut quamprimum Byzantium se conferret, sollicitabatur. Qui e Perside in Syriam profectus, cum per aliquot dies ad civitatem militiamque ordinandam Aleppi substitisset, magna Achomatem purpuratosque suspicione repleverat, ne assuetis artibus, parum Regis fidei se credens, aliquid in turcici imperii perniciem meditaretur. Sed tandem Byzantium una cum Persarum legato, immensa

auri

*Amurathes Visirus interiens Nasuphum exercitui præfuit.*

*Nasuphus Visirus declaratus.*